

GLÓRIA in excélsis Deo et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. Adorámus te. Glorificámus te. Grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam. Dómine Deus, Rex cæléstis, Deus Pater omnípotens. Dómine Fili unigénite, Jesu Christe. Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi, súscepe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, Jesu Christe. † Cum Sancto Spíritu: in glória Dei Patris. Amen.

MUNDA cor meum ac labia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíæ prophétæ cálculo mundásti igníto: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

JUBE, Dómine, benedícere. Dóminus sit in corde meo et in lábiis meis: ut digne et competénter annúntiem Evangélium suum. Amen.

CREDO in unum Deum, Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium. Et in unum Dóminum Jesum Christum, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salútem, descendit de cælis (*Hic genufléctitur*). **Et incarnátus est de Spíritu Sancto ex María Vírgine: ET HOMO FACTUS EST.** Crucifíxus étiam pro nobis: sub Póntio Piláto passus et sepúltus est. Et resurrexit tértia die, secúndum Scriptúras. Et ascéndit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum ventúrus est cum glória judicáre vivos et mórtuos: cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum, Dóminum et vivificántem: qui ex Patre Filióque procedit. Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur: qui locútus est per prophétas. Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiám. Confiteor unum baptísma in remissionem peccatórum. Et expécto resurrectionem mortuórum, et vitam † ventúri sæculi. Amen.

SÚSCIBE, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, hanc immaculátam hóstiam, quam ego indígnus fámulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerábilibus peccátis, et offénsionibus, et negligétiis meis, et pro ómnibus circumstántibus, sed et pro ómnibus fidélibus cristiánis vivis atque defúntis: ut mihi, et illis proficiat ad salútem in vitam ætérnam. Amen.

OFFÉRIMUS tibi, Dómine, cálicem salutáris, tuam deprecántes cleméntiam: ut in conspéctu divínæ majestátis tuæ, pro nostra et totíus mundi salúte, cum odóre suavitátis ascéndat. Amen.

IN spíritu humilitátis et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

VENI, sanctificátor omnípotens ætérne Deus: et béne†dic hoc sacrificium, tuo sancto nómini præparátum.

SÚSCIBE, sancta Trínitas, hanc oblatiónem, quam tibi offerimus ob memóriam passiónis, resurrectionis et ascensiónis Jesu Christi, Dómini nostri: et in honórem beátæ Maríæ semper Vírginis, et beáti Joánnis Baptístæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istórum, et ómnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad salútem: et illi pro nobis intercédere dignéntur in cælis, quorum memóriam ágimus in terris. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Accípiens in mánibus Hóstiam dicit:

QUI pridie quam paterétur, accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, et elevátis óculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, tibi grátias agens, bene†dixit, fregit, dedítque discípulis suis, dicens:

Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

SÍMILI modo postquam cenátum est, accípiens et hunc præclárum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas: item tibi grátias agens, bene†dixit, dedítque discípulis suis, dicens:

Accípite, et bíbite ex eo omnes.

**HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS MEI,
NOVI ET ÆTÉRNA TESTAMÉNTI,
MYSTÉRUIM FÍDEI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS
EFFUNDÉTUR
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.**

Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis.

Partículam Hóstiæ impónit in Cálicem, dicens secréto:

HÆC commixtio, et consecrátio Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi, fiat accipiéntibus nobis in vitam ætérnam. Amen.

Ante sumptiónem Sacraménti, inclinátus dicit:

DÓMINE Jesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis: Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccáta mea, sed fidem Ecclésiæ tuæ; eámque secúndum voluntátem tuam pacificáre et coadunáre dignéris: Qui vivis et regnas, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

DÓMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spíritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: líbera me per hoc sacrosánctum Corpus et Sánguinem tuum ab ómnibus iniquitátibus meis, et univérsis malis: et fac me tuis semper inhærere mandátis, et a te numquam separári permittas: Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas, Deus, in sæcula sæculórum. Amen.

PERCÉPTIO Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indígnus súmeré præsumo, non mihi provéniat in iudícium et condemnatiónem: sed pro tua pietáte prosit mihi ad tutaméntum mentis et córporis, et ad medélam percipiéndam: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Ante Benedictiónem, inclinátus dicit:

PLÁCEAT tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ: et præsta; ut sacrificium, quod óculis tuæ majestátis indígnus obtuli, tibi sit acceptábile, mihique et ómnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

*Sacerdos signans signo crucis primum Altáre,
deinde se in fronte, ore et pectóre, dicit:*

† Inítium sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Junctis mánibus proséquitur:

IN PRINCÍPIO erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípío apud Deum. Ómnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium perhibéret de lúmíne, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmíne. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fiéri, his, qui credunt in nómine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

(genufléctit dicens:)

ET VERBUM CARO FACTUM EST,

(et surgens proséquitur:)

et habitávit in nobis: et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiaë et veritátis.

***Sacerdos infúndit vinum, postea aquam
miscéndam in Cálíce benedícit, dicens:***

DEUS, † qui humánæ substántiæ dignitatem mirabíliter condidísti, et mirabílius reformásti:

(et infúndens parum aquæ in cálicem proséquitur)

da nobis per hujus aquæ et vini mystérium, ejus divinitátis esse consórtes, qui humanitátis nostræ fieri dignátus est párticeps, Jesus Christus, Fílius tuus, Dóminus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus: per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

***Sacerdos lavat manus, id est extremitátes
digitórum póllicis et índicis, dicens:***

LAVÁBO inter innocétes manus meas: et circúmdabo altáre tuum, Dómine: Ut áudiam vocem laudis, et enárrem univérsa mirabília tua. Dómine, diléxi decórem domus tuæ et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, et cum viris sánguinum vitam meam: In quorum mánibus iniquitátes sunt: délixtera eórum repléta est munéribus. Ego autem in innocéntia mea ingrèssus sum: rédime me et míserére mei. Pes meus stetit in dirécto: in ecclésiis benedícam te, Dómine. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto. Sicut erat in princípío, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

***Porrígit cálicem mínistro, qui infúndit in eo
parum vini, quo se puríficat: deínde
proséquitur:***

CORPUS tuum, Dómine, quod sumpsí, et Sanguis, quem potávi, adhæreat viscéribus meis: et præsta; ut in me non remáneat scélerum mácula, quem pura et sancta refecérunt sacraménta: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.